Schosseri Christian. Theod: Paean in gloriosam Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi resurrectionem.

PÆAN,
IN GLORIOSAM DOMINI ET SALVATORIS NOSTRI
JESU CHRISTI
RESURRECTIONEM.

Authore
CHRISTIAN-THEODORO SCHOSSERO,
Æmiliano, Phil. ac Medicinar. D. Reipublicæ Boleslaviensis in Silesia Physico Ordinario.

LESNÆ POLONORUM
Excudebat
DANIEL VETTERUS, GYMNASII
TYPOGRAPHUS.

ANNO CHRISTI 1641.

MAGNIFICO

SENATVI

AVGVSTÆ FLORENTISSIMÆq; SILESIÆ METRAPOLEOS,

VRATISLAVIENSIS

REIPUBLICÆ, PATRIBUS PATRIÆ, PATRONIS

&

MOECENATIBVS HONORANDIS,

QVICQVID HIC PVBLICATVM EST, Cum Debita Observantia,

INSCRIBIT ET OFFERT

Author.

ODE
In Gloriosam Christi Resurrectionem Pæan.

QVis ille IOSEPH, mortis ab infimo
Surgens hiatu; qui roseum caput
Virente palmâ est impeditus,
Purpureoq; renidet ostro?
Quis ille SAMSON, qui rabidum feræ
Stygis Draconem, roboris enthei
Vmbone fultus, jam cecîdit,
Victor ab hoste cluens tremendo?
Quis quæso, JONAS, ventris in abdito
Ceti recessu tergeminos dies
Noctisq; tentus exit, & jam
Littora tuta petit, resorptus?
Quis ille DAVID, qui nitidum gerit
Manû tropéum; cujus honor ferit
Palantidis flavum cubile, &
Hesperium Phaëthontis axem?
Favete linguis! En redit HERCULES

 Cœle-

Cœlestis imæ de scrobis abdito;
Qui luridi monstrum barathri
Auspiciis domuit secundis!
Hic dura Lethes mænia diffidit,
Mortisq; sævum contudit impetum:
Hic invidos postes Averni
Concutiens, fera tecta Mortis
Disjecit, Heros robore Martio
Pollens, & almum se Dominum extulit;
Ditem suis stringens catenis:
Ne queat ampliùs ire pessùm,
Quisquis resurgentem inspicit Arbitrum
Nostræ salutis. neu malè- conscius
Post fata perpetim fidelis
Ardeat in Phlegethontis antro.
Nam post ADAMI luctificum scelus
Totum genus mortale momorderat
Cocytius prester; nec ullus,
Qui medicas adhiberet artes
Erat Machaon. jam simul omnibus
Intenderat Mors falcem inamabilem:
Dæmon, ut omnes lancinaret,
Vulnificos acuebat ungues.
Sed laus JEHOVÆ, qui memor aviæ
Gentis, redemit progeniem suam
Infi-

In filio, nostræ salutis
Vnico & ingenuo MAGISTRO!
Hic nostra lavit crimina fervido
Sui cruoris nectare; quem cohors
Judæa cum latrone bino
In rigida crucifixit alno.
Sed nil feroces officiunt manus
CHRISTO jacenti Mortis in atrio:
Nam Victor hic surgit vicissim,
Tergemino celebris triumpho.
Ergò fideles, quos premit improbæ
Maligna culpæ sarcina, plaudite;
Nec amplius peccata propter
Vranimos patiuntor æstus.
Nam Victor ingens, Victor amabilis,
Nitente cinctus laudis adoreâ,
E tabido resurgit antro,
Blandisonumq; recantat ἆσμα.
Hunc hunc fideles inspicitote, nec
Mentis fenestras impediat timor:
Hunc hunc amate, qui perennem
Morte suâ retulit salutem!
Jam victus est Præsul Stygij lacûs,
Vinctusq; loris plus-adamantinis:

Æter-

Æterna Mors jam cassa diris
Intumulo recubat pharetris.
Invisa furvæ triga Proserpinæ
Concussa, magnos sustinet impetus:
Et impotens vexare Sanctos,
Tænarias reserando portas,
Quas clausit, & jam perpete pessulo
Obstruxit Heros robore cælico
Pollens IESUS: dente frendet
Instar apri meditantis ictum.
O robur ingens Herculis enthei!
O vim superni Regis, & inclytam
Et utilem nobis, & hosti
Non minus ignifero stupendam!
Miramur omnes Teq; tuamq; vim,
O chare JESU: te canit omnium
Sacrata clasis Angelorum,
O bone Victor, ovante plectro!
Quapropter & nos pectine cælico
CHRISTUM canamus, qui extulit omnia
Peccata Mortis in barathrum,
Et reseravit amæna Tempe
Cœli, resurgens è scrobe squalida
Lethes avaræ. jamque epinicion

Can-

Cantat peracto munere Hymnum,
Lætus in axe poli triumphans.
Dicamus ergò pectore fervido;
Sit gloriosus Victor Olympicus:
Laudetur ejus nomen; omnes
Ingeminent simul, HALLELUJAH!
Io, triumphat VICTOR, & aureum
Cœli, resurgens laude, palatium
Conscendit, heîc regnat, suoq;
Numine cuncta gubernat æquus!
Ergò alme Princeps, qui nitidum quatis
Manu tropéum, Te petimus, gregem
Defende sacrum; ne propulsent
Nos Acherontigenæ phalanges.
Immitte pacem, densaque Thracii
Dispelle Martis, quæ parat, agmina:
Averte pestem; sit benigna
Temperies fluitantis auræ.
Hæc nos precamur. Tu bone REX, poli
Audi vocantes rebus in asperis.
Sic Te benignum semper omnes
Pectine dulcisono canemus.